

15. Si divortium sit semiplenum distinguendum est utrum ex mutuo consensu, vel ex crimine separatio conjugum fiat. Si ex mutuo consensu separentur conjuges, mulier recuperat dotem, vir res donatas propter nuptias, si autem ex adulterio, vel in genere ex crimine viri, mulier recuperat dotem, cap. 1. h. t. et etiam suum faciet dotalitium seu donationem propter nuptias. Arg. cap. 4. h. t.

16. Si vero divortium fiat ex adulterio, vel ex alio crimine uxoris, ipsa amittet jus repetendæ dotis, quæ viro cedit. Cap. 4. h. t.

Causam restitutionis dotis videt et decernit idem Judex, qui causam divortii cognoscit. C. 3. h. t. Tandem in re nostra animadvertimus juxta canonicum jus expressum in can. 2. h. t. ea bona quæ, constante matrimonio, obveniunt et sunt effectus industriæ communis conjugum, æquitate suadente, utrique conjugi æquis partibus spectare, adeoque, soluto matrimonio, æque esse dividenda.

TITULUS XXI.

De secundis nuptiis.

1. Secundæ et eo magis posteriores nuptiæ minus honorabiles in Ecclesia habitæ sunt, tum quia videntur insinuare intemperantiam, tum quia non repræsentant perfecto modo typum conjugii Christiani, nempe unionem Christi cum Ecclesia, quemadmodum hanc unionem repræsentat matrimonium unius cum una. C. 5. *'De Bigam. non ord.'* Quare ex defectu significationis ob secundas nuptias inductum est impedimentum irregularitatis ad ordines suscipiendos, et in vetere Ecclesia imponebatur aliqua pœnitentia fidelibus secundas nuptias contrahentibus. Ita Can. 8. c. 31. q. 1. At hæc pœnitentia contraria consuetudine sublata est.

Secundæ autem et posteriores nuptiæ non solum validæ sunt, quia in ipsis ratio contractus naturalis, et ratio sacramenti reperitur, sed etiam licitæ revera sunt inter fideles. Sufficiat citare S. Paulum in Ep. ad Rom. 7. et in 1^o. Cor. 7. ubi absolute ait mulierem posse alteri viro nubere in Domino, si vir ejus dormierit. Imo in 1^o. ad Tim. 5. vult S. Paulus, *'viduas juniores nubere'*.

2. Sive quia secundæ nuptiæ minus honorabiles sunt præ primis, sive quia semel data nuptialis benedictio iteranda non esse videtur benedictio interdicta fuit in secundis nuptiis, immo pres-

byter secundis nuptiis benedicens, pœna suspensionis plectebatur. C. 1. h. t.

3. Verum per consuetudinem communem inductum est, ut secundæ nuptiæ non quidem benedicerentur quando mulier esset *binuba*, benedicerentur autem quando vir esset *viduus* et duceret uxorem mulierem, quæ alias non fuit benedicta. Ratio est liturgica. Quia benedictio proprie dirigitur ad uxorem, hinc mulier, quæ aliud matrimonium non contraxit, benedictionem quam alias non recepit potest recipere.

4. Quæritur quandonam possint novæ nuptiæ contrahi.

Juxta leges civiles in Cod. Just. h. t. nuptiæ interdictæ erant intra annum luctus, ita ut mulier quæ ante completum annum a morte primi viri nupsisset alteri viro incurreret pœnam infamiæ, nec non alias pœnas, ex. gr. inhabilitatis ad quamcumque hæreditatem vel legatum obtinendum.

Hæc porro dispositio facta erat 1^o. ut rigide et indubie definiretur paternitas filiorum, nec facile ad primum conjugium referretur filii geniti in secundo conjugio; 2^o. ut bonorum morum ratio servaretur, et evitaretur periculum in mulieribus cogitandi et conciliandi novas nuptias, prioribus adhuc existentibus.

5. Verum jus canonicum adhærens intentioni juris divini expressæ a S. Paulo in I. Cor. 7. et cupiens evitare periculum incontinentiæ in conjugate superstitie correxit jus civile, et abstulit pœnas statutas contra conjugem superstitem, qui contraheret matrimonium ante completum annum luctus a morte prioris conjugis. Ita in capp. 4. et 5. h. t.

6. Sed juxta legem S. Pauli in I. c. requiritur ut cognoscatur mors alterius conjugis.

Lucius III. statuit ut nullus ad secundas nuptias migrare præsumeret, nisi constaret de morte alterius conjugis. Consonat cap. 19. *'De Spons. et Matrim.'* Quod si nondum habita certa notitia mortis alterius conjugis, alter conjux matrimonium contraxerit, et proinde aliquatenus dubitet de valore hujus secundi matrimonii, poterit utique debitum reddere si ab alia parte petatur, quæ versatur in bona fide, quia fraudandum non est jus quod habet pars in bona fide; non poterit vero debitum petere, quia aliquis uti non potest jure quod certo non possidet. Si autem inde constiterit de vita prioris conjugis, matrimonium secundum est

solvendum prorsus, quia nihil est amplius quam connubium formaliter adulterinum. Ita in cit. cap. 2. h. t.

7. Quæritur quomodo legitime constare debeat resolutum fuisse primum conjugium morte alterius conjugis. Inquisitio est accurate facienda a Parocho et a Curia Episcopali, immo juxta intentionem Trid. Conc. in cap. 7. sess. 24. *De Reform. Matrim.* Parochus non videtur posse assistere matrimoniis, quando ex alienis testimoniis deprehendat factum resolutionis matrimonii per mortem alterius conjugis, nisi adsit Curiae Episcopalis licentia.

Constare autem potest Curiae Episcopali mors prioris conjugis ex fide authentica Parochi illius in cujus Paroecia conjux mortuus sit.

8. Nec aliqua documenta admittenda sunt, nisi sint munita sigillo et legalitate Episcopi Ordinarii et recognita saltem per testes qui habeant notam manum aut sigillum, et attente consideretur ut fides seu testimonia bene et concludenter identifcent personas de quibus agitur. Ita in speciali Inst. Cong. S. Inquis. Pariter de morte prioris conjugis constare potest per authenticam fidem rectoris hospitalis, vel capellani loci, aut exercitus, in quo conjux diem supremum occubuit.

Hisce deficientibus possunt admitti duo testes, qui sub juramento deponant revera solutum fuisse primum conjugium morte alterius conjugis.

Testes autem sunt interrogandi juxta normam statutam in cit. Inst. S. Cong. Inquisitionis an. 1670.

Referuntur quaedam Instructiones S. Sedis, quæ practicam regulam exhibent in re matrimoniali servandam.

Instructio S. U. Inquisitionis jussu Clementis X. Ordinariis locorum aliisque præscripta, qua utantur ad legitime cognoscendum admittendumque statum liberum eorum, qui matrimonium contrahere velint.

‘Decretum emanatum in Congregatione generali Sanctæ Romanæ et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino nostro Clemente divina providentia Papa X., ac Eminentissimis ac Reverendissimis Dominis S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, in tota Republica christiana contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus, a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.’

Feria V. die XXI. Augusti MDCLXX.

9. ‘Cum alias per sacram Congregationem S. Officii, iteratis Instructionibus ab eadem emanatis, de an. MDCLVIII et MDCLXV, locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit ut præscriptis interrogatoriis faciendis testibus, qui ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium inducuntur, omnis prorsus secluderetur aditus iis, qui adhuc vivente altero conjuge, aut alias impediti, ad secunda illicita vota transire satagebant; videns nihilominus Sanctissimus Dominus Noster quamplures locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios et Deputatos, ad excipiendas testium depositiones, nec non Parochos et Notarios, in casibus expressis aut omittere aut non observare earumdem instructionum tenorem, et licet aliquando plene observent, non tamen interrogare testes super aliis impedimentis dirimentibus.

§ 1º. Ideo volens Sanctitas Sua prædictis malis occurrere, re mature considerata cum Eminentissimis et Reverendissimis DD. Cardinalibus, generalibus Inquisitoribus, præsentem Decreto, perpetuis futuris temporibus duraturo, iterum injungit omnibus Vicariis seu Deputatis pro examinandis testibus ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium, necnon Parochis, Notariis et quibuscumque aliis respective, sub pœnis etiam gravibus corporalibus arbitrio S. Congregationis ut instructionem infrascriptam ad unguem observent.

§ 2º. Ut autem præsens Decretum et Instructio ad omnium notitiam facilius deveniant, decrevit illa ad valvas Basilicæ Apostolorum et Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ac Palatio S. Officii ejusdem Urbis per aliquem ex Cursoribus Sanctitatis Suae publicari ac eorum exempla itidem affixa relinqui; illaque sic publicata omnes et singulos, quos concernunt, post duos menses a die publicationis in Urbe faciendæ numerandos, perinde efficere ac arctare, ac si illarum unicuique personaliter notificata et intimata fuissent.

Instructio pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis tam in Curia Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Urbis Vicarii quam in aliis Curiis ceterorum Ordinariorum.

10. ‘1º. In primis testis moneatur de gravitate juramenti in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo divina simul et humana majestas læditur ob rei de qua tractatur importantiam: et

gravitatem, et quod imminet pœna trirerum et fustigationis deponenti falsum.

11. 'II^o. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, et habitatione.

'III^o. An sit civis vel exterus, et quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco in quo testis ipse deponit.

'IV^o. An ad examen accesserit sponte vel requisitus; si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur quia præsumitur mendax; si vero dixerit accessisse requisitum, interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

'V^o. Interrogetur an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

'VI. Interrogetur an cognoscat contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cujus qualitatis et conditionis existant. Si responderit negative, testis dimittatur; si vero affirmative,

12. 'VII. Interrogetur an contrahere volentes sint cives vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu, de eo tempore quo permanserunt in sua civitate vel Diœcesi. Ad probandum vero eorundem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium et reddant sufficientem rationem causæ sententiæ eorum, absque eo quod teneantur deferre attestaciones Ordinariorum locorum in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

13. 'Si vero responderit contrahere volentes esse cives,

'VIII. Interrogetur sub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitaverunt, vel habitent de præsentibus.

'Item an ipse testis sciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus, quandoque habuisse uxorem vel maritum, aut professum fuisse in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex ordinibus sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum ex quo non possit contrahi matrimonium.

'Si vero testis responderit non habuisse uxorem vel maritum, neque aliud impedimentum ut supra,

'IX. Interrogetur de causa scientiæ, et an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, vel aliud impedimentum etc., et quod ipse testis nesciat.

'Si responderit affirmative supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem vel maritum, neque ullum aliud impedimentum etc.

'Si vero responderit negative,

'X. Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde iudex colligere poterit an testi sit danda fides.

14. 'Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos,

'XI. Interrogetur de loco et tempore, quo sunt mortui et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et nunc esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio autentico a Rectore hospitalis, in quo prædicti decesserunt, vel a Rectore Ecclesiæ in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel si fieri potest a duce illius cohortis in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimi et sufficientes.

'XII. An post mortem dicti conjugis defuncti aliquis ex prædictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.

'Si responderit negative,

'XIII. Interrogetur an esse possit quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse testis sciat.

'Si responderit affirmative supersedeatur in licentia donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

'Si vero negative

'XIV. Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa, Iudex poterit judicare, an sit concedenda licentia nec ne.

15. 'Si contrahentes sunt vagi non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, et in aliis, servata forma Concilii Tridentini in *cap. 7. Sess. 24. De Ref. matr.*

16. 'Fides aliaque documenta, quæ producuntur a partibus non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum et sigillum, et attente consideretur, quod fides seu testimonia bene et concludenter identificent personas de quibus agitur.

17. 'Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei quam extranei, quia præsumuntur melius informati, et cives magis quam exteri; nec admittantur vagi et milites, nisi data causa et maturo consilio, et Notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscit utatur clausula 'mihi bene cognitus', sin minus, examen non recipiat, nisi una cum persona testis aliqua alia compareat cognita Notario, et quæ attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum.

18. 'Et hujusmodi examinibus debet interesse in Urbe, ultra Notarium, Officialis specialiter deputandus ab Eminentissimo Vicario; si extra Urbem vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, et idonea ab Episcopo specialiter deputanda; alias puniatur Notarius arbitrio S. Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicationes.

'Ordinarii præcipiant omnibus et singulis Parochis in eorum Diocesisibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo vel ejus generali Vicario, prius teneantur, authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium.

'Contravenientes autem severe punientur.'

Non est opus animadvertere corporales pœnas de quibus in N^o. I. Instructionis, non amplius in usu esse.

Instructio

Sup^æ Sacræ Cong^{nis} Inquisitionis ad probandum obitum alicujus conjugis. Die 13. Maji 1868.

19. 'Matrimonii vinculo duos tantummodo, Christo ita docente, copulari et conjungi posse, alterutro vero conjuge vita functo, secundas, immo et posteriores nuptias licitas esse, dogmatica Ecclesiæ Catholicæ doctrina est.

'Verum ad secundas et posteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur, quæ difficultatibus ac fraudibus haud raro est obno-

xia, hinc sancta Sedes sedulo curavit, modo constitutionibus generalibus, sæpius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut prædicti matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

'Inde constituta Sacrorum Canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte conjugis certo constet, uti cap. 'Dominus', De secundis nuptiis vel quod de ipsa morte recipiatur certum nuncium uti in cap. 'In præsentia' De sponsalibus et matrimonio. Inde etiam ea, quæ explanatius traduntur in Instructione 'Cum alias' 21. Augusti 1670 a Clemente X. sancita et in Bullario Romano inserta, super examine testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Eminentissimi Vicarii Urbis, et ceterorum Ordinariorum. Maxime vero quæ propius ad rem faciendâ ibi habentur n. 12. et 13. (Hanc Instruct. superius retulimus).

'Et hæc quidem abunde sufficerent, si in ejusmodi causis peragendis omnimoda et absoluta certitudo de alterius conjugis obitu haberi semper posset; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitæ vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instructione his verbis:

20. 'Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, S. Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo legitimæ sint et sufficientes,') sequitur quod stantibus licet principiis generalibus præstitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus Ecclesiasticorum Præsidum judicia hæerere solent in vera justaque probatione dignoscenda ac statuenda; immo cum pro summa illa facilitate, quæ ætate nostra facta est remotissimas quasque regiones adeundi, in omnes fere orbis partes homines divagentur, ejusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes atque instructiones, quas, pro re nata, ut ajunt, peti, mittique necesse est, plurimum defuit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

'Quapropter S. eadem Congregatio hujusmodi necessitatibus occurrere percipiens, simulque perpendens in dissitis præsertim missionum locis, Ecclesiasticos Præsides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, necesse censuit, uberiorem edere Instructionem, in qua, iis, quæ jam tradita sunt nullo pacto abrogatis, regulæ indigentur, quas in

ejusmodi casibus hæc ipsa sacra Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad S. Sedem possint judicia fieri, vel certe si recurrendum sit, status quæstionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententiæ non debeat. Itaque

21. 'I. Cum de conjugis morte quæstio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ejus absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a sacris Canonibus minime sufficiens ad justam probationem habetur. Unde s. mem. Pius VI. ad Archiepiscopum Pragensem die 11. Julii 1789 rescripsit, solam conjugis absentiam atque omnimodum ejusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobendam*, ne tum quidem cum edicto regio conjux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullumque suimet indicium dederit. *'Quod enim non comparuerit, idem ait Pontifex, non magis mors in causa esse potuit quam ejus contumacia'*.

22. 'II. Hinc ad præscriptum eorundem Sacrorum Canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex regestis parœciæ, vel xenodochii, vel militiæ, vel etiam si haberi nequeat ab auctoritate Ecclesiastica, a Gubernio civili loci, in quo, ut supponitur, persona obierit.

23. 'III. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes autem duo saltem esse debent jurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint ac sint inter se concordés quoad locum, et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriæ vel etiam militiæ, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

24. 'IV. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et licet ab omni jure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne conjux alias nuptias inire peroptans vitam cœlibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit suprema Congregatio in dirimendis hujusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit præditus, nulli exceptioni obnoxius, ac præterea ejus depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in ejus testimonio reperiri, quod non sit congruum et omnino verisimile.

25. 'V. Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur, se tempore non suspecto mortem conjugis ex aliorum attestazione audivisse, isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel etiam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentioribus respondeant, satis esse censentur pro sequutæ mortis prudenti judicio.

26. 'VI. Verum haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiat testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex conjecturis, præsumptionibus, indiciis et adjunctis quibuscumque sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit; ita nimirum ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis conjunguntur, inde prudentis viri judicium ad eandem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine permoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex hujusmodi conjecturis simul conjunctis justa probatio id prudenti relinquendum est iudicis arbitrio.

Hinc tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illæ sive urgentiores, sive etiam leviores colligi et haberi possint.

27. 'VII. Itaque in primis illæ præsumptiones investigandæ erunt, quæ *personam ipsius* asserti *defuncti* respiciunt, quæque profecto facile haberi poterunt a conjunctis, amicis, vicinis et quoquo modo notis utriusque conjugis. In quorum examine requiratur ex. gr.

'An ille de cujus obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset, pie religioseque viveret, uxoremque diligeret, nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset.

'An discesserit annuentibus uxore et conjunctis; quæ tunc ejus ætas, et valetudo esset.

'An aliquando et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quam primum redeundi aperuerit, aliaque hujus generis indicia colligantur.

'Alia *ex rerum adjunctis* pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt:

'Si ob *militiam abierit*, a duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit, utrum ab hostibus fuerit